

dubitantis conscientiaë fluctibus jactati, secum per sæpe certarent incerti, cui potius Deo sacra facere, cui vota nuncupare in tanta multitudine deberent, ut optatis fruerentur successibus. Qui multos habet servos, illi nemo bene servit, ut est in vulgari proverbio: ita qui multos Deos habet, est sine Deo. Nos à vaga istiusmodi animi distractione liberati, illum, cujus ope & gratia liberati sumus, Deum, essentia unum, personis trinum, unicè veneremur: ad ejus solius gloriam omnia nostra dicta, facta, cogitata dirigamus.

EXERCITATIO XXII.

Dei existentiam non modò ex cogitatione nostra de Deo; verùm etiam ex continuatione existentiaë nostræ cognosci.

I **P**hilosophari primùm incipimus, dum mentem nostram *existere* animadvertimus, ex eo quod *cogitet*. Pergimus deinde ad probandam existentiam Dei tum ex *cogitationibus* nostris, tum ex *duratione nostræ existentiaë*.

2. Cogitationes sive notiones in animo nostro sunt aut simplices aut complexæ, & aliud hinc argumentum depro-

M mimus.